



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, M. DC. LXXX.

49. An pater possit renunciare beneficio legis, si vnquam & donationem
facere extraneis in præiudicium filiorum Et notatur, quod in casu, quo
donatio propter prolem supervenientem esset nulla, ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76413](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76413)

De Donationibus. Ref. XLVII. &c. 335

de donationibus in rubric. de substantial. n. 16. Anton. Gabr. Roman. d. i. de don. concl. 6. n. 5. Illud certum est, donationem morte patris non confirmari, quando immoderata est, nimirum ceteris liberis præiudicat. Gailius d. obseru. 28. n. 15. Henricus Bocerus de donat. cap. 3. num. 10.

2. Sed non deferam hic addere verba Patris Vvadingi, *in tra. de contr. disp. 1. dub. 10. vbi sic ait. Dico, pater filio in potestate existenti non potest donationem puram inter viuos facere; dixi donationem inter viuos, quia mortis causa facta valet, imò ipsa donatio inter viuos sustinetur in vim donationis mortis causa; cum limitatione tamen quam est. donationes quas parentes habet, vt insinuetur donatio, si excedat summam legibus taxatam, scilicet quingentos aureos; & si insinuetur, non requiritur expressa confirmatio illius facta in morte parentis, sed solum silentium eius, vel non reuocatio sufficit ad eam confirmandam; quod etiam sufficit vt retrahatur ad tempus factæ donationis, & eo loco habeatur, ac si fuisset inter viuos facta, & valida à principio. Si verò non sit facta insinuatio, solum silentium non sufficit, sed debet saltem in eo, quod excedit quingentos aureos, expressè confirmari in morte, & tunc non retrahitur ad tempus factæ donationis, sed tantum incipit à tempore mortis.*

3. Sed, an donatio à patre filiis sit, eo mortuo, ad hæreditatis diuisionem conferenda; vide Layman lib. 3. tra. 4. c. 12. n. 11. Molinam tom. 1. tra. 1. disp. 243. Baunium in Theolog. mor. tom. 3. lib. 2. tra. 1. quæst. 16. & ex Iuriconsultis Fachinæum controuers. iur. lib. 5. c. 81. & sequenti.

RESOL. XLVII.

Enumerantur alij casus, in quibus donatio patris facta filio est valida. Ex p. 8. tr. 6. Ref. 6.

§. 1. Dico primo, quod valet donatio à patre filiæ facta quando pater donat filiæ causa dotis, vt notat Iacobus Menochius lib. 1. p. 5. sumpt. 29. n. 74. & Corasius ad Isidorum à fratres. §. quæstion. num. 60. segg. Ioannes Scharidus, ad l. 2. n. 4. C. de inoff. don. Rollandus à Valle, in tra. de iur. dot. q. 100. n. 3. Et ideo valet donatio propter nuptias, quam pater filio facit. Gratianus disceptat. for. 197. n. 1. Schneidevvin. ad §. alia. n. 77. Insl. de donationibus.

2. Dico secundo, valere donationem, quam pater facit filio in militiam abeunti. Scharid. in l. 2. n. 3. de inoff. don. & Hunnius in Encycl. iur. p. 3. tit. 26. c. 1. n. 24. Deinde summus Princeps filio suo donare potest, & valet eiusmodi donatio, quia Princeps legibus civilibus solutus est, l. Princeps. ff. de legibus. Prohibitio verò donationis inter patrem & filium iuris civilis est. Andreas Gailius d. obseru. 38. n. 16. Menochius lib. 3. ref. 29. n. 96. & segg. Trentacinius d. iur. donat. ref. 8. n. 9. Nicolaus Intrigliolus tr. de substit. cent. 2. q. 90. n. 8.

3. Dico tertio, quod donatio à patre facta filio emancipato, statim ab initio valida est, nec confirmatione indiget. Gailius obseru. 38. n. 24. Daniel Molerus lib. 2. semet. c. 16. n. 6. Antonius Gomezius d. iur. de do. mar. c. 4. n. 25. Scharidus ad l. 2. n. 11. C. de inoff. test. Aded vt donatio filiofamilias facta confirmetur per mortem patris subsecutam. Molerus c. 16. n. 6. Henricus Bocerus de donationibus, c. 3. n. 12. Mozzius d. tit. de donationibus, rubr. de personis inter quas, n. 17.

4. Alios etiam casus enumerat Lessius lib. 2. cap. 18. dub. 12. num. 61. vbi sic ait. Sunt aliqui casus, in quibus donatio patris in filium sub patria potestate constitutum statim valet. Primo, si aliquid detur in dotem, vel ad matrimonium. Secundo, cum donat bona mobilia proficiendi ad bellum. Tertio, si professuro aliquam disci-

plinam libros donet, hæc enim duo genera efficiuntur statim castrensia, vel quasi castrensia bona. Quarto, si viumfructum, quem habet in bonis aduentitiis filij, condonet filio. Quinto, si in remunerationem obsequiorum. Denique, in omnibus penè casibus, in quibus donatio inter coniuges valet statim, valet etiam parentis in filium. Ita Lessius, cui adde Hurtadum, disp. 1. diff. 7. & Baunium in Theol. mor. tom. 3. lib. 2. tr. 4. q. 9.

pro tertio ita vt in not. 3. & supra in Ref. 40. §. Quinto. & pro Quinto huius §. supra in Ref. 45. & in aliis §§. eius not.

RESOL. XLVIII.

An pater teneatur non solum alimenta, sed etiam dotem filiis spiritibus præbere? Et an hoc etiam procedat si pater sit Clericus, etiam post Constitutionem Pij V? Ex part. 6. tra. 7. & Misc. 2. Ref. 28.

§. 1. Negatiuam sententiam docet ex Theologis Molina de iust. i. 1. disp. 224. n. 2. Probatur hæc opinio, quia non valet argumentatio de alimentis ad dotem nam alimenta dantur dietim, aut in singulos menses, vel annos: dos autem simul, & vno cumulo constituitur: & sic in dote agitur de maiori præiudicio parentum, quam in alimentis, vnde licet Patres teneantur alere, non tamen tenentur dotare liberos spiritus: posse tamen id efficere, si velint. Secundo, quia in dote erit scandalum, non autem in alimentis soluendis: nam in dote constituenda, videtur renouare patrem suam incontinentiam: & alios suo prauo exemplo ad peccatum provocare: non sic in alimentis præstandis, vt de se patet. Tertio, quia dos non constituitur primario ad alendam vitam, sed ad sustentandam familiam: parentes autem solum ductu naturæ tenentur vitam filiorum, si-liarumque spirituum alere, non verò familiam sustentare. Poterunt ergo parentes huiusmodi filios, & filias, si pauperes sint, dotare si velint, titulo elemosynæ, non tamen tenentur dotare: neque ad id possunt cogi in foro interno, aut externo.

Sup. hoc in fra in tr. 8. Ref. 112. §. vlt. Sed lege cam per co- scias, quid fa- cere potest Pater, aut marer cum filiis spiritibus.

2. His tamen non obstantibus affirmatiuam sententiam tenet Filiucius tom. 2. tr. 23. p. 2. c. 2. n. 42. Sanchez de matrim. lib. 4. disp. 16. num. 20. & segg. & lib. 7. disp. 88. n. 32. Surdus t. 3. conf. 310. n. 2. & t. 4. conf. 509. n. 1. & segg. & alij penes ipsos: quibus nouissime adde Trullench. in Decal. t. 1. lib. 4. c. 4. dub. 2. n. 22. vbi rectè obseruat hoc procedere, etiam si pater sit Clericus, & etiam post Constitutionem Pij V.

Sup. hoc in §. röt. præ- terit. & in t. 2. tr. 6. ref. 4. c. §. Et ideo. & in t. 4. tr. 72. ref. 11. §. vlt.

3. Fateor hæc secundam sententiam esse veriorē: sed si aliquis primam Molinæ velit amplecti, eum non damnarem: nam illam tanquam probabilem admittit Fagundez in Decal. tom. 1. lib. 4. c. 1. n. 7.

RESOL. XLIX.

An pater possit renuñciare beneficio legis Si vnquam, & donationem facere extraneis in præiudicium filiorum? Et notatur, quod in casu, quo donatio propter prolem superuenientem esset nulla, donatarum non obligari ad restitutionem, donec res donata reperatur. Et docetur, quod in dubio ea est tenenda sententia, & interpretatio, quæ humanior est, & benignior. Ex p. 8. tr. 6. Ref. 60.

§. 1. Negatiuè respondet Hurt. disp. 1. diff. 7. Dicta donatio est nulla, quamuis renuñciauerit dictis legibus, quia facta sunt in fauorem filiorum futurorum, absque limitatione aliqua. Ita ille, cui adde ex Iuriconsultis Gailium lib. 1. obseru. 46. n. vlt. & Myr-finger cent. 5. obseru. 63.

Sup. hoc in tom. 5. tr. 4.

2. Probatur hæc opinio, quia in dubio ea tenenda est sententia, & interpretatio, quæ humanior est ac benignior,

Ref. 6. §. vi.
& in aliis
eius not.

gnior, arg. l. benignus 18. & l. nulla iuris, 2. ff. de legibus, l. si fuerit, 10. in ff. de reb. dub. l. non sine §. versic. armen. quia consequens. & c. de bon. qua. liber. & c. Alii hanc posteriorem sententiam longè humaniorem esse illa priore affirmante, plusquam notum est. Tum quia in d. l. si unquam 8. aperte dicitur, quod totum, quidquid patris largitus fuerat, reuertatur, ac proinde non committitur hoc liberæ voluntati donatoris, an velit reuocare, vel non; sed ius ipsum & sanctio Imperatoria edicit ut reuertatur, imperatiuè nimirum, non voluntariè. Tum etiam quia quisque iuri tantum suo, suumque fauorem concernenti, renuntiare potest, l. pen. C. de pact. nec factum vnius alteri obest, aut nocet. Atqui donationis reuocatio commodum & fauorem liberorum potissimum concernit, ac parenti propter liberos, nec aliter quam liberis ei natis tribuitur, uti conuincitur ex d. l. si unquam 8. ibi, filios non habens, & ibi, postea suscepit liberos, &c. Quocirca non poterit pater renunciare reuocationi, nec in præiudicium liberorum eam omittere: sed si omiserit, integrum erit liberis donationem reuocare, nec factum patris liberis nocere debet, præsertim cum ratio naturalis, quasi lex quædam tacita, liberis parentum hæreditatem addicat, l. cum ratio 7. ff. de bonis damnatorum, l. scripto 7. §. vlt. ff. si tabula test. nulla extab.

3. Sed hæc omnino mihi displicent: nam puto posse patrem renunciare beneficio legis, si unquam, C. de reuoc. don. Tribuitur enim beneficium illud soli parenti, non liberis postea natis, uti arguit textus in d. l. si unquam ibi donatoris arbitrio, ac diuisione. Vnde parens donator suo illi beneficio renunciare potest, per l. si quis 29. C. de pact. & l. in re mandata 21. C. mandati.

4. Accidit, quod ea lex est de tota donatione reuocanda, cum tamen liberi donationem inofficiosam reuocent, tantum pro modo legitimæ, l. si totas §. & tot. C. de inoff. dog. licet in alios liberos donatio sit collata, Autem si parens, ubi Iason n. 2. cum seq. C. de inoff. test. d. l. si totas §. C. de inoff. don. Iason in cons. 125. incip. circa primum dubium, n. 2. vol. 1. Bartolus in l. Titia 87. §. Imperator, n. 4. ff. de leg. 2. Andreas Gailius lib. 2. obseru. pract. obseru. 116. n. 4.

5. Ad hæc d. l. si unquam, vera ratio consistit in pietatis coniectura, cum non præsumatur parens quod donaturus fuisset, si de liberis cogitasset, quodque propriæ soboli extraneos præferre voluerit, ut supra ostendi ex d. l. cum acutissimi, C. de fideicom. l. cum auus, ff. de cond. & demonstr. l. 6. §. cum autem, C. de instit. & substit. Cum ergo apparet euidenter, quod parens donare voluerit, etiam si liberos suscepit, cessat ea pietatis coniectura, ut apparet ex text. d. l. si unquam. Id autem manifestè constat, si parens beneficio legis illius expressè renuntiat.

6. Postremò autem hanc sententiam amplectuntur Iason cons. 125. lib. 1. & cons. 230. lib. 1. Rota Romana dec. 124. p. 1. in nouiss. edit. Cuiacius lib. 20. obseru. c. 5. Bonel. ad d. l. si unquam, n. 11. & 12. Fachinaus lib. 3. controu. iur. c. 84. quibus adde Hunnium in Encycloped. iur. p. 3. tit. 26. c. 7. n. 31. & Boccerum tr. de don. c. 3. n. 133.

7. Igitur, donatorem, si quando donabat in particulari, & expressè renunciauerit priuilegio citatæ l. si unquam, non posse tunc in vita donationem reuocare. Poterunt tamen proles post eius obitum reuocare, quatenus fuit eis inofficiosa, ut Iuriconsulti loquuntur, id est, quatenus legitimam eorum læsit. Et ita docet Vvigers de iust. tr. §. c. 2. dub. 12. n. 57.

8. Notandum est tamen hæc obiter, quod in casu quo donatio propter prolem superuenientem esset nulla, donatarium non obligari ad restitutionem, donec res donata repetatur: quandiu enim non reperitur, potest præsumere donatorem non velle restitutionem sibi fieri, sed iuri suo cedere, ut tradunt Doctores communiter, & inter illos Vvigers, cui adde Lessium, lib. 2. cap. 18. dubitatione 14. n. 10. Rebellum lib. 18. quæstio-

ne 10. & Dicastrum libro 2. tractatu 5. disputatiõne 1. dub. 7. num. 164.

R E S O L. L.

An si liberi post donationem suscepti, viuo donatore, decesserint, donatio semel reuocata, reuocari possit? Ex p. §. tr. 6. Ref. 61.

§. 1. Affirmatiuam sententiam tenet Antonius Gomez 100. 2. var. ref. c. 4. n. 12. Iulius Clarus lib. 4. sen. §. donatio, q. 23. n. 9. & Mozzius in tr. de donat. rit. vlt. n. 90. Sed eorum sententia, qui donationem semel extinctam non amplius, liberis defunctis, reuiuiscere statuit, probabilior videtur. Tum, quia actio, quæ donatario competebat, per liberorum superuenientiam semel extincta, euentu, siue morte liberorum eorumdem subsecuta reuocari nequit, argum. legis, qui res suas 98. §. arcam ff. de solution. l. Manius 66. §. 1. ff. de leg. 2. Tum quia, natis liberis, res donatæ propriæ donatoris effectus sunt, ac propterea, ut donatarij rursus fiant propriæ, noua donatione est opus. Neque enim res semel arbitrio & dominio donatoris subiecta, ipsi inuito adimi potest, l. id quod nostrum 11. ff. de reg. iur. Tum denique, quia donatio ista facta intelligitur sub tacita hac conditione, si liberos postea donator non suscepit. Atqui hæc donatio, natis liberis, confestim deficit, licet liberi postea moriantur, l. filiusfamilias 114. §. cum erit 13. ff. de leg. 1. l. heredibus 77. in princ. ff. ad SC. Trebel. Quam sententiam approbant Bartolus in l. Titia 87. §. Imperator 3. ff. de leg. 2. Donellus ad d. l. si unquam 8. n. 9. C. de reuoc. don. Fachinaus lib. 3. controu. iur. c. 92. Bocerus comment. de donat. c. 3. n. 133. Hunnius lib. 2. var. ref. iur. civil. tr. 4. q. 12. & Tiraquellus in dist. leg. si unquam, in verb. suscepit liberos, n. 203. aliique per hunc citati.

2. Nec obstat huic decisioni, quod cessante causa beneficij, cesset quoque effectus, sicque ipsum beneficium, argum. l. 1. in princ. ff. ad l. Iul. de ambig. l. in omnibus causis 68. ff. de reg. iur. c. cum cessante 60. Extraneus de appell. Liberis autem susceptis postmodum defunctis, cesset causa reuocationis. Nam breuiter respondeatur, effectum in nostro casu iam productum, & consummatum esse: siquidem ius reuocandi donationem iam donatori sit acquisitum, ob liberorum superuenientiam. At productum & consummatum effectum non cessare, licet causa eius cesset, latè demonstrat Tiraquellus in tr. cessante causa, similis. 12. n. 1. & seqq. cumque referens Bocerus d. c. 1. n. 137.

3. Verum hanc quæstionem pertrahat Cardinalis Lugo de iust. tom. 2. disp. 23. sect. 1. §. 1. n. 182. & putat illam pendere ex præsumpta voluntate donatoris, ex qua diximus valorem aut inualiditatem huius donationis colligendam esse. Potuit autem donator in ipsa donatione ita comprehendere casus natiuitatis filiorum, ut non tamen vellent natis filiis eo ipso donationem esse irritam; sed solum voluerit referuare sibi potestatem, vel suis filiis eam reuocandi; sicut secuta donatarij ingratitudine donatio non fit eo ipso irrita, sed reuocabilis à donatore. Et hanc credo esse communiter intentionem donantis; quia hoc sufficit ad hoc ut filius futuris donatio non noceat. Cum ergo donator eo sit affectu erga donatarium, ut filios futuros solum ei præferat, nec velit donatarium re donata priuari, nisi intuitu filiorum, consequens est ut velit eam ratam esse, quoties absque filiorum præiudicio permanere possit: ergo mortuis filiis non potest pater eam reuocare, cum iam tunc eiusmodi reuocatio non fieret ad consulendum filiis, sed ob alium finem. Nec dicta verba d. legis, Si unquam, contrarium probant: solum enim volunt in potestate & arbitrio donatoris esse, quod filiorum intuitu donationem reuocet, si voluerit.

4. Sed

Sup. hoc infia 135. & in §. Igitur. huius Ref. infia.

Sup. in Ref. quæ bicentia §. 1. & in alio §. eius annot.

Sup. hoc sup. in §. Accedit huius Ref. & infra in Ref. 135.